ILLVSTRISSIMO D.D. IOANNI BEMBO PROCVRATORI NVPER D. MARCI DIGNISSIMO;

ORACLVM DELPHICVM:

Nunc autem ad Serenissimi Principis meritorum ergo dignitatem evecto

SYNCHARISTICON,

FRANCISCVS CANCLINVS
donat, dicat, consecrat.



VENETIIS, M DC XV.

Ex Typographia Iacobi Sarzinæ.

ILLVSTRISSIMO

D.D. IOANNI BEMBO

PROCVRATORI NVPER

D. MARCI DIGNISSIMO;

ORACLVM DELPHICVM

Nunc autem ad Serenissimi Principis meritorum ergo dignitatem erecto

SYNCHARISTICON

FRANCISCVS CANGLINVS


donat, dicat, consecrat.





VENETIIS. M DC XV

Ex Typographia Iacobi Sarzinae.



Rata qvies aderat: curis nam feßa diurnis
Pectora mulcebat somnus placidissimus, atq;
Lumina noctivago devicta sopore jacebant;
Jn somnis qvando ante oculos Gryneus Apollo
(Tempora sidereo circum splendore coruscans)
Visus adesse mihi, dictisq; ita fatus amicis.
Ad Cælum traxere Ducem, cognomine MEMVM
Numina, jamq; novum statuunt cui sceptra daturi
Cælicolæ, Ausonias norit qvi flectere habenas,
Reddere jusq; foro, componere legibus Vrbem;
Larga bonis clemens statuat qvi Præmia Princeps,
Et premat injustos condigna vindice pœna;
Jungere qviq; sciat sub amico fœdere dextras.
Qvare Concilio (nullo aversante) vocato
Decrevere pari præsentia Numina voto:
His BEMBVM meritis, nulli & virtute secundũ,
Atq; Patrem Patriæ, lumen Venetiq; Senatus
Conspicuum, meritò regali in sede locandum,
Jmperium Oceano, famam qvi terminet astris.
Qvàm benè apud memores veteris stat gratia facti!
Ecqvis enim Venetum sceptro TE dignior alter
O BEMBE. Ausonij prælustris gloria Cæli?

Qvis namq; est toties missus maris Induperator,
Et classis Venetæ, gravius specimenq; suarum
Virtutum exhibuit, corpus dum mille periclis
Obtulit intrepidus? Nam sic pro legibus arma
Ferre juvat patrijs, Libertatemq; tueri.
TE Auxilium Patriæ, Servatoremq; fatentur
Magnanimi Cives; tali TE voce salutant
Et Patriæ Patres, Venetum Sanctusq; Senatus.
Qvid qvod TE multæ virtutes concomitantur,
Signa perenne tuum verè monstrantia sceptrum?
Namq; Minerua tuo residet sub pectore, Mavors,
Terna simulq; Charis, nec non Cytherea, Sororum
Aonidumq. novem circum TE sacra caterva.
Præterea Pietas est, cui cælestis origo;
Intemerata Fides morum fidißima custos;
Justitia inviolata, bonis placidissima Virgo,
Et mulcere animos, & amica jungere pace.
Pro qvibus his sceptro cur non potiere, qvod ornant
Non celebrata satis præstantia facta Parentum,
Nulla dies unqvam memori qvos eximet ævo?
Irrita Fata Deum tandem qvis judicet audax,
Me qvoqve Fatidicum credat non vera loqvutum?
Insuper ecce micant qvę illustria signa videntur:
Intonuit Cælum, addicunt volucresq; volucres,
Et læta pecudes, & ovantes gutture corvi.

Itq;

Itq; reditq; viam sonus undiq;, & undiq; plausus.
Deniq; femineus pultat fragor, atq; virilis
Aethera, & insolitùm spumarunt litoris algæ
Adriaci, atq; Ducem poscunt sibi litora talem,
Litora, qvæ tali Præfecto intacta fuere, &
Nunqvam (nec mirum) hostiles sensere carinas.
Ac veluti annosam valido cum robore qvercum
Aeolij Boreæ nunc hinc, nunc flatibus illinc
Extirpare simul certant: it stridor, & alte
Consternunt terram concusso stipite frondes:
Haud secus assiduis hinc, atq; hinc vocibus Heros
Poscitur, et BEMBVM præsentia tempora clamant,
Clamant, immò volunt longè, lateq; tabernæ,
Passim dum referunt inscripti nomina BEMBI
Pro meritis, posuit namq; alta silentia cunctis
Lex Venetis, qvare marmor, tabulæq; loqvuntur.
Scilicet est tantus Virtutis splendor avitæ!
Eia agè BEMBE tuis columenqve, decusq; Senati
Fide hilaris gestis, sunt & sua dona labori,
Præsertim Venetis, lucens qvos gloria reddit
Felices, Summosq; Viros ad sidera tollit.
Fama volat (nec falsa loqvor) tibi sceptra parari,
Sceptra qvibus Venetas Princeps modereris habenas;
Jura dabis; TE Regna trement, nutuq; regentur
Vnius, & Cœli post terras iura manebunt.


Nesto-

Nestoris interea vivendo vincere secla
(Degere nec satis est) perges, & deniq; Victor
Ipse tuo cineri vives post Fata superstes.
Nec Tibi dura preci præciderit Atropos ævi
Stamina, sed Stygiæ referes oblivia lethes.
Talia Veridicus sacro Deus edidit ore,
Ocyus indè volans Superas remeavit ad Arces.
Vixq; ea fatus erat, subitò cum cura soporem
Abrumpit melior, stupefactaq; membra reliqvit.
Nec mea lingva valet nigris suffusa tenebris
Ingenij, qvàm læta meum tunc (vera fatebor)
Gaudia vinxerunt dulci dulcedine pectus.
Et jam Luna silens latitabat nubibus altis,
Atq; celer Titan radijs succenderat Orbem.

MERCVRIVS.

Sedibus ętherijs mißus Caducifer ad TE
BEMBE volo peragens cælica jussa, Deus,
Talia: Gratantur sceptrum tibi Numina: Namq;
Obveniunt meritis præmia digna tuis.
Miraris forsan Lector nova Regna potitum?
Desine, falsa Deus non cano, vera loqvor.
Vera loqvor, sicut Lycius prædixit Apollo
CANCLINO, cujus vota seqvuta fides.

Ad



Ad Populum Venetum.



Emulus aſſurgat Venetis vel turribus ignis,
Igne fora, igne viæ, templa qvoq; igne micent.
Gaudete hinc Proceres, Cives, eñ bella ſilebunt
Cæſareos inter, Vos Venetoſq;, Duces:
Hoc Duce nam cuncti geniali pace fruentur,
Imperium ſine qva triſtia aratra manent.



